Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26157
Copyright: Admont, Benediktinerstift

que secuntur a grecorum usu sumpte creduntur. Orationes autem quas collectas dicimus a diversis auctoribus compositae creduntur. precipue a gelasio presule romano. et beato gregorio papa. Unde et multa ipsius legimus. Sed et gelasianum codicem de missarum sollempniis. multa subtrahens pauca convertens. nonnulla superadiciens. in unius libelli volumine coartavit. Quod volumen librum sacramentorum prititulavit. Et fortasse primis temporibus solae pauli epistolae legebantur. postmodum inter ipsas alie lectiones sunt. non tantum de novo. verum etiam de veteri prout sollempnitatum ordo poscebat testamento. Ubi notandum ut sicut sanctum .G. quicumque has vel has cantilenas composuisset. libri sacramentorum. et antiphonarium. ita et beatum iheronimum credimus

ordinatorem lectionarii. ut ipsius testatur prologus appositus in capite eiusdem libri comitis. sic enim appellavit. Postea cum gradualia et alleluia inter apostolicam et euangelicam lectionem ceperunt frequentari. hispani quasi novitate rei perculsi intervenerunt dicentes. in quibusdam hispaniarum ecclesiis laudes post apostolum decantantur. priusquam euangelium predicetur. cum canones precipiant post apostolum non laudes sed euangelium annunciare. Presumptio enim est. ut anteponantur ea que sequi debent. nam laudes ideo euangelium secuntur. propter gloriam christi quam per idem euangelium predicatur. veruntamen ex auctoritate sedis romane ecclesie postea est constitutum ut responsoria ac alleluia canantur ante sanctum euangelium. Id est etiam in toletano statutum concilio. ut ymni tum puerorum omni